



# BANQUE COMMUNE D'ÉPREUVES

CONCOURS D'ADMISSION DE 2005

Concepteur : ESSEC

## OPTION LETTRES ET SCIENCES HUMAINES

### PREMIERE LANGUE

### VERSION LATINE

Durée : 4 heures

Lundi 16 mai 2005 de 8h à 12h

#### Sénèque demande à Néron la permission de vivre dans la retraite (62 apr. J-C).

(Se sachant victime d'une cabale, le philosophe-ministre essaie de se mettre à l'abri. C'est ici la péroraison de son discours)

5 «Tu gratiam immensam, innumeram pecuniam mihi circumdedisti adeo ut plerumque intra me ipse uoluam : egone equestri et prouinciali loco ortus proceribus ciuitatis adnumeror ? Inter nobilis et longa decora praegerentis nouitas mea enituit ? Vbi est animus ille modicis contentus ? Talis hortos extruit et per haec suburbana incedit et tantis agrorum spatiis, tam lato faenore exuberat ? Vna defensio occurrit quod muneribus tuis obniti non debui.

10 Sed uterque mensuram impleuimus, et tu, quantum princeps tribuere amico posset, et ego, quantum amicus a principe accipere : cetera inuidiam augent. Quae quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem iacet, sed mihi incumbit, mihi subueniendum est. Quo modo in militia aut uia fessus adminiculum orarem, ita in hoc itinere uitae senex et leuissimis quoque curis impar, cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto. Jube rem per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis quorum fulgore praestringor, quod temporis hortorum aut uillarum curae seponitur in animum reuocabo. Superest tibi robur et tot per annos uisum summi fastigii regimen :  
15 possumus seniores amici quietem reposcere. Hoc quoque in tuam gloriam cedit, eos ad summa uexisse qui et modica tolerarent.»

TACITE

- Rappel : L'utilisation de toute calculatrice et de tout matériel électronique est interdite.
- Seul document autorisé : un dictionnaire latin-français BORNECQUE, GAFFIOT, GOELZER ou QUICHERAT.